

207

1745.

Breithaupt, Christian:

1. Goetel, Dr. Eustachius de: Memorialia . . . Tab. Eustachii
de Goetel . . . publica . . . interpretata Christiano
Breithaupto

2. Conrad, Franciscus Carolus: De consuetudine legum
hanc vivente.

3. Gerike, Petrus: De regimine captis praesuppon-
tus colorum et frigus.

4. Pertsch, Dr. Georg: De bryozoarum speciatione Norimber-
genibus paucis liberis.

5. Pertsch, Dr. Georg: De scientiis a jureconsulto impressis
Germannis et discentiis.

6. Pertsch, Dr. Georg: De resurrectione actuum validis
et legitime celebratorum.

7. Pertsch, Dr. Georg: De iure amortizationis

1746.

1st Conrad, Franciscus Carolus: De formula investiture cum
omni honore. 2 Septemb. 1747 & 1750.

1746.

1^a Conradi, Franciscus Carolus: De formula investiture
cum omni honore. 2 Scapl. 1747 - 1750.

2. Conradi, Franciscus Carolus: De modo servando in lega-
tum priorem interpretatione

3. Conradi, Franciscus Carolus, b.d.j.m. decanus: ad disputationem
rem in qua: Iohannes Frederici Sisenhart . . . intitul.

4. Durlingius, Christianus Gottlieb: De militare pos-
t antiquo Christianorum jure consilio ac defensore.

5^a Wahl, Fr. August Christ.: Dissertation juri
plerorum iurisdictionum juri amortizationis sistens

1747.

1^a Conradi, Franciscus Carolus: De feudo manuali
2 Scapl. 1747 & 1750


2. Conradi, Franciscus Carolus: De jure retractus in
bonis Merdingicis presertim ad . . . praepos-
tum et capitulum cathedralis ecclesiae Hildes.

sensis spectentibus

3. Conradi, Franciscus Gorla: De beneficio ex
curiosis possessori hypothecae specialis non com-
petente.

4. Frobenius, Dr. Nicolaus: Duncanii di' Weliz, Henr.
Schoepfi, Dr. A. Feller et Sigismundi Hesemannis
... memoriae ... orationis salutis resu-
citatus.

5. Specimenes, Isaac Godfrey: Vineratio phiz,
qua testamenta iuris naturalis esse demonstratio



R. Conradi de consuetudine legem hanc vincente

DE
CONSVENTUDINE
LEGEM HAVD VINCENTE,

PRAESIDE
FRANCISCO CAROLO
CONRADI

SERENISSIMO BRUNOVICENSEM AC LVNAE.
BURGENSIVM DVCI A CONSILIIS AVLICIS ET
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
ANTECESSORE


IN
IVLEO MAIORI

A. D. XVI. IVNII MDCCXXXV.

PUBLICE DISPUTABIT

IOANNES PETRVS SIVERS
LVRECENSIS.

HELMSTADII
LITTERIS DRIMBORNIANIS.





DISSERTATIO IVRIDICA
DE
CONSVETVDINE
LEGEM HAVD VINCENTE.

I.

MAXIMVM IN REPUBLICA MALVM, IVS INCERTVM, QVOD A IVRIS SCRIPTI NEGLECTV VENIT.



i, quod CICERO *pro Caecina c. 25.* docet, quodque verissimum esse HVGO GROTIUS *de iur. bell. et pac. prolegom.* §. 22. ait, omnia incerta sunt, simul a iure discessum est: facile appareret, maxime felicitati reipublicae officere atque inter gra-

A 2

uiissi-

uissima ciuitatis mala habendum esse *ius incertum*.
Et vehementer quidem dolendum est, cum hoc mor-
bo Germaniam nostram conflictari, non demum ab
illo aeuo, quo *ius Romanum* in eam introduci coe-
pit, vt sunt qui criminantur, sed ab antiquissimo
tempore et aureo, vt multis videtur, saeculo, quo
nulla lege scripta, sed moribus vixerunt maiores no-
stris. Praeclare id demonstrauit Ill. DE LÉYSER Me-
dit. ad Pand. Spec. VIII. medit. 1. et 2. vbi et cauſas
exposuit, ob quas nec aequam, nec stabilem et cer-
tam iuris normam a consuetudine et moribus exspe-
ctare licet, et ciuitates, quae iure tantum non scripto
vsae sunt, cum iis, quae legibus latis floruerunt,
conferendo, infelicem illarum conditionem, ac spe-
ciatim Germaniae scriptis legibus nondum ordina-
tae perturbatum et calamitosum statum ostendit. V-
tinam vero post leges salutares, quibus communis
patriae nostrae publica pax et tranquillitas debentur,
constitutas, et postquam *ius ciuale Romanum*, quod
ab aequitate et prudentia se tantopere commendauit,
vt ipsa *ratio scriptarum* videretur, in subsidium, et qua-
tenus statui Germaniae conuenit, receptum est,
quum suffecturum vbique *ius scriptum* condere sane
impossibile esset, et postquam in singulis territoriis
leges

leges domesticis rationibus accommodatores maxima cum cura latae fuerunt, vtinam, inquam, hodie in tanta legum optimarum copia iure incerto minus laboraremus. Non iam accusabo leguleiorum, leges inepta interpretatione euertentium, imperitiam et vesaniam, neque dicam de facinoribus rabularum, quibus semper inuenta lege praefsto est calumnia. Haud postremam sane iuris incerti caussam apud nos esse legum scriptarum neglectum, nemo non animaduertit, nisi eorum, quae in vita hominum et in foro aguntur, omnino ignarus. Ita, vt ille queritur apud

PLAVTVM in Trinum. Act. IIII. Scen. 3. v. 30.

Mores leges perduxerunt in potestatem suam, dum inueteratae consuetudinis inconsultus amor, libertatis faciendi, quod velis, irrationabile studium, aequitatis cerebrinae fallax species et priuati commodi dulcedo vincunt curam verae utilitatis, quae eadem est vniuersiusque et vniuersorum ciuium, cuius causa feruntur leges salutares. Larga hinc litium seges et ancipitia fata caussarum. Fit inde saepius, vt qui iure publice constituto nituntur seque omnino tutos putant, magno tamen rei familiaris detimento se delusos experiantur, vbi ad iudicem ventum est, dum ab aduersario iuris illius obseruantia negatur,

contrarius usus praetenditur, demum secundum hunc a iudice sententia fertur. Alii vicissim ea, quae in negotiis certis contrahendis certa et solennia requisita, quorum nullum sine vitio omitti possit, leges scriptae obseruare iubent, vulgo negligi videntes, dum aliorum exempla sequuntur, captos se sentiunt, ubi negotium haud legitime contractum atque nullius momenti esse pronuntiatur. In iudiciis saepenumero parum constans legum, quae litium ambages praeescindit et caussas quam breui fieri potest spatio terminari imperant, usus obseruatur, et modo plus iusto, modo minus aequo conceditur, magno litigantium malo, quibus aequali et perpetuo iure frui sic non datur. Nimis longum et odiosum foret per singulas species ire et omnes calamitates enumerare, quarum haec una caussa est, quod leges utilitatis publicae ratione scriptae seruunt mori, sunt in arbitrio ciuum, figuntur et refiguntur impetu vel iudicio hominum, qui id ius esse volunt, quod sibi voluerit vel aptum sentiunt.

II.

**SOLVS NON USVS, SIVE DESVENTUDO, LEGEM
SCRIPTAM HAVD TOLLIT. L. XXXII. §. I. D.
DE LEGIB. EXPLICATVR.**

Scripta

Scripta lex est regula in ciuitate promulgata, ad cuius prae scriptum omnes, qui in ea republica sunt, vitam instituere debent, *l. 2. D. de legib.* Ea, quod legislatoria prudentia poscit, secundum ciuitatis rationes ita, ut omnibus in ea vel certe pluribus utilis sit, *l. II. D. de iust. et iur. constituitur.* Leges tollere est eius, qui potest ferre: neque id faciendum, nisi consulto. Consultare et decernere de legibus non est subditorum, nec iudicium, sed agere et iudicare secundum leges. Ergo indigna illis vox est, legem scriptam non obseruari, aut desuetudine sublatam esse, quam obseruare debuissent. Neque patrocinium illis praefat *l. 32. §. 1. D. de Legib.* vbi, rectissime illud receptum esse, dicitur, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Non enim hoc ait **IVLIA-NVS**, intermisso vsu et desuetudine abrogari leges; sed tacitum consensum omnium requirit, omnium scilicet, quorum voluntate et consensu iura statuuntur. Loquitur ex vsu liberae reipublicae, ut verba praecedentia ostendunt: *Nam quum ipsae leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt: merito et ea, quae sine ullo scripto populus probauit, tenebunt omnes: nam quid interest,*
suffra-

DE CONSVENTUDINE

*suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus
ipsis et factis?* Itaque in libera ciuitate, vbi leges
communi reipublicae sponsione, l. i. D. de legib. magis-
tratu ciues rogante, ciuibus suffragia ferentibus,
conduntur, tacita quoque sponsione reipublicae, con-
senſu omnium, non minus sine suffragiis, quam per
suffragia in comitiis, leges abrogari possunt. Quod
apud Romanos fiebat consensu tacito magistratum
et ciuium, dum hi noua, quae placuerat, norma in-
ter se vtebantur et experiebantur, illi secundum eam
ius dicebant et plerumque illam normam, non sine
consilio et auctoritate prudentum, adhibitis quoque,
ut ex CICERONIS de offic. Lib. III. c. 20. intelligi-
tur, Tribunis plebis, recipiebant in edicta sua. Diserte
idem CICERO Lib. II. de Inuent. c. 22. Consuetudinis
ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege ve-
tuſtas comprobauit. In ea autem iura sunt quaedam
ipsa iam certa propter vetustatem. Quo in genere et
alia sunt multa, et eorum multo maxima pars, quae
Praetores dicere consueuerunt. Quum igitur sub
principatu id solum legis habeat vigorem, quod
Principi placuit, l. i. pr. D. de Const. Princ. facile
constat, omnem consuetudinis auctoritatem pende-
re a Principis voluntate, hac demum illi legis vim
tribui,

tribui, hac fieri, vt tacito Principis consensu leges scriptae per desuetudinem abrogentur.

III.

*LEGIS II. C. QVAE SIT LONGA CONSVENTUDO
VARIAE INTERPRETATIONES.*

Enimvero, qui consuetudinis in collisione cum legi scripta debeat esse valor, clare definit Imp. CONSTANTINVS in l. 2. C. quae sit long. consuet. Consuetudinis ususque longaeni non vilius auctoritas est: verum non usque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem. Mirari conuenit, haec verba tantum difficultatis habere et cum l. 32. §. 1. D. de legib. aperte pugnare visa esse plerisque interpretibus. Haud morabimur veterum opiniones, quas longo agmine recenset IO. SICHARDVS in Cod. praelect. ad b. l. Potiores sententiae sunt, quod alii speciamē consuetudinem significari, dicunt, quae non vincat legem generalem; alii, intelligendam esse consuetudinem irrationalē, aut praescriptione haud firmatam; alii, consuetudine non impediri legis postea ferendae valorem; alii consuetudine haud vincit legem, quae inhibet omnem consuetudinem contrariam, vt *Auct. Nanigia C. de furt.* tunc enim cer-

te consuetudine non posse tolli legem; alii, id quod b. l. 2. dicitur, restringendum esse ad tempora Iustini-
niani, quibus non licuit populo Principi subiecto con-
suetudinem introducere; alii, consuetudinis et legis
parem in textu perhiberi auctoritatem. BRUNNE-
MANNVS in C. ad h. l. vbi tres posteriores harum
sententiarum retulit, in nulla earum absurditatem, in
omnibus tamen difficultatem se videre, subiicit. CVIA-
CIVS in Lib. II. Quaeſt. Papin. ad l. 1. D. de usur. hanc
explicationem adfert: *Consuetudo legem abrogat, non
tamen vincit legem: non idem est abrogare et vincere
legem: in ipso concursu legis et consuetudinis, dum
vtraque viget, vtraque suis consitit viribus, sane vin-
cit lex consuetudinem, dum viget, nec consenuit, non
consuetudo legem.* Eadem docet Recit. ſolenn. in
Lib. Digest. Salu. Iuliani XCIIII. ad d. l. 32. Alibi
Paratitl. in tit. C. quae sit long. consuet. distinguit in-
ter consuetudinem, quam ratio non commendat, quae
nulla aut parua ratione conſtat, aut quae nondum pe-
nitus inoleuit, nondum conſenſu omnium recepta, inue-
terata, ſtabilita, iudicio comprobata eſt, et eam, quam
ratio ſuafit, ratio quaedam maior et publica utilitas et
longum tempus, tacito et illitterato omnium conſenſu, et
rerum iudicatarum firmauit auctoritas. Illam negat
vin-

vincere legem : huic eam vim tribuit, vt sane abrogaret legem, cuius ratio vel cessauit, vel minor est, vel minus confert reipublicae : quia et deficere videatur lex tanquam obliterata, supra quam usus inuauit, et deficiente lege consuetudo sola dominatur et legis vim obtinet. Alio loco, *in Il. Feud. i.* explicat *d.l. 2. C.* de consuetudine, *quae nondum in iudiciis conualuit*, et aliam rationem esse, dicit, eius, *quae contradic̄to iudicio confirmata sit et pro lege habeatur*. Notat praeterea, verba, *Consuetudinis ususque longaeui non vilis auctoritas est*, intelligenda esse de iis, quae lege definita non sunt. Prior **CVIACII** expostio subobscura est, neque ut par est declarat, quomodo proprie differant, quae diuersa esse dixit, *vincere et abrogare legem*: altera coincidit cum illa, quam vulgares interpretes de consuetudine irrationabili vel nondum praescripta faciunt: tertia vim derogatoriam ei tantum consuetudini adserit, quae contradic̄to iudicio firmata est. Ceterum quod **CVIACIVS** notat, praeualere consuetudinem in iis, de quibus lex scripta non existit, id reprehendens **GREG. LOPEZ MADERA**: *Ac si tunc lex et consuetudo de victoria certent, quum non pugnant, inquit Animaduers. Iur. Ci. c. 5. n. 6. qui ipse in d.l. 2. C. ostendi censet magnam conuenientiam inter legem*

B 2

et

et consuetudinem, quod consuetudo non vincat legem, neque contra, lex consuetudinem, in vigore nempe et vi, ut lex non magis habeat roboris, quam consuetudo, quae tacita lex est, et legem imitatur in omnibus, in lege nimis tollenda, corrigenda, interpretanda, l. 32. §. 1. et l. 37. D. de legib. Verum de consuetudine legi contraria omnino hoc loco quaeri, an haec illam vincat et abroget, rectissime monet FRANC. BALDVINVS de Legib. Constantini M. Lib. II. et, quum lex aliqua perpetua est et naturali ratione subnixa, contraria consuetudine tolli penitus eam non posse, docet, vtque consuetudinis aliqua vis sit, in primis illam oportere esse non iniustum, aut iniquum: hanc Constantini sententiam fuisse, qui audiuerit Nicaenum illum canonem, τὰ ἀρχαῖα ἐν οὐρανῷ, sed interea tamen meminerit, antea in concilio Carthaginensi editam hanc sententiam fuisse: *Veritati cedere consuetudinem debere.* Utique plurima contra veterem consuetudinem et in sacris et in profanis innouasse Constantimum, gentiles vero aduersus Christianam religionem et noua illa instituta profectos ritus maximopere vrsisse, erudit obseruauit IAC. GOTHOFREDVS ad L. vn. C. Theod. de long. consuetud. Quamobrem GER. NOODT comm.

ad

ad Pand. tit. de Conf. Princ. p. 16. coniicit, rescriptum Constantini in b. l. 2. datum esse ad relationem, qua Proculus Proconsul Africæ (vt habet inscriptio in quibusdam exemplaribus) forte gentilis, acceptis a Principe mandatis, ex vetere superstitione quid informantibus, pro consuetudine vsuque longaeuo pugnauerit, prorsus vt a SYMMACHO pro ara Victoriae factum relatione ad Imp. Valentinianum, Theodosium et Arcadium, Lib. X. epist. 61. Negat igitur vir eximius, in rescripto Constantini quaestionem responderi, an consuetudinis vsusque longaeui illa vis sit, vt possit abrogare anteriorem legem: quin potius hanc ait tolli dubitationem: An consuetudo ideo, quod longaeua est, tanti sit ponderis atque efficaciae, vt non debeat cedere aut rationi aut legi, quamvis detecto errore. Denique elegantissimus ICtus I O S. AVERANIVS Interpret. iur. Lib. II. c. 1. non tam nouam proposit, quam suam fecit et clarius enuntiauit explanationem, quam subobscure a CVIACRO prolatam diximus. Consuetudo, inquit, abrogat priorem legem; non tamen eam vincit, sui momento, suis viribus, propria natura. Vtrumque verissimum est: neque sunt haec contraria. Consuetudo natura sua, suisque viribus, et proprio momento non est potentior lege, sed

B 3

omni-

omnino par: itaque eam non vincit, sed tamen ipsi derogat, ipsamque tollit. Sed quomodo eam tollit? non quia sit poterior, suoque momento eam vincit; sed quia est posterior. Lex vincit legem, non propriis viribus, non ratione sui momenti: sed ratione temporis et mutationis voluntatis, l. vlt. D. de Const. Princ. Finit tandem: Quamobrem si lex posterior sit consuetudine, lex tollet consuetudinem: contra si consuetudo posterior sit, legem tollet, non suo momento, sed ratione temporis.

III.

VERA CONSTANTINI MENS IN L. II. C. QVAE
SIT LONG. CONSVENT. INVESTIGATVR.

CONSVENTUDO PER SE NON TOLLIT LEGEM,
MVLTOQVE MINVS EA, QVAE PVBLICAE
VTILITATI ADVERSA EST.

Et NOODTII quidem coniectura, GOTHOFREDI
obseruationibus fulta, SCHVLTINGII, GVND-
LINGII, HEINECCII aliorumque plausum tulit.
Propria tamen species, legi 2. C. quae sit long. consuet.
aptanda, videtur extare in l. i. C. de collat. fundor. in
qua Constantinus ad eundem Proculum Proconsu-
lem Africæ eodem anno, paucos dies post, ut sub-
scriptio in Codice Theodosiano perhibet, his verbis
rescri-

rescrit: *Emphyteuticarii possessores, qui mansuetudinis nostrae beneficio ad extraordinaria minime deuocantur munera, sicut ceteri prouinciales, obsequium suum itineribus muniendis impendant. Nulla enim ratione debent ab hoc, quod in commune omnibus profuturum est, seungi.* Declarat Imperator, emphyteuticarios possessores, i. e. qui fundos patrimoniales ad patrimonium Principis pertinentes emphyteutico iure possiderent, ab extraordinariis quidem muneribus immunes esse, non vero etiam a viarum muniendarum onere, non magis, quam ceteros prouinciales. Rationem addit, quia, quod publice omnibus profuturum, ad id omnes operam et impensam conferre aequum est. Immunitatem ab hoc viarum muniendarum onere plures affectasse, loquuntur constitutiones, quae sub *titulo de itinere muniendo* in Codice Theodosiano extant, in quarum *secunda* et *sexta* mentio fit *auctoritatis, moris prisci, antiquitatis,* qua illa vias muniendi necessitas iniungatur. Huic iuri olim constituto quidam rescripta impetrata opponebant, alii dignitatem possessorum, et ipsi emphyteuticarii possessores exemptionem rei priuatae Principis ab hoc onere, imo consuetudinem vsumque longaeuum iactabant, quo certe a collatione ope-

rarum

rarum sumptuumque ad viarum munitionem facienda liberi essent. Proculo igitur, Proconsuli Africae, de consuerudine allegata consulent responder Constantinus in d. l. 2. C. quae sit long. consuet. Conuentudinis usque longaeui non vilis auctoritas est: verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem. Rationem innuit Imperator publicae utilitatis, eique consuetudinem quois annorum tractu munitam praeualere negat, sicut nec legi siue iuri olim constituto, de quo ll. 2. et 6. Cod. Theod. supra memoratae. Quum deinde emphyteuticarii fundorum ad domum Principis pertinentium possessores porro suam ab extraordinariis oneribus immunitatem cauissentur, eidem Proculo hac de re ad Constantimum referenti, in d. l. 1. C. de collat. fundor. quae in Codice Theodosiano est l. 1. de itin. muniend. rescritbit Imperator, eos plane, ut ceteros prouinciales, itineribus muniendis obsequium suum impendere debere. Ita enim publicae utilitatis et aequitatis rationem poscere. Vera itaque Constantini in d. l. 2. C. mens est, consuetudinem in se spectatam, sui momento, non eo usque valere, ut legem tollat, minime vero omnium id valere eam, quae publicae utilitati aduersatur, qualis est omnis illa, quae cum recta

recta ratione, cum aequitate, cum honestate pugnat :
 quae *corruptela* potius vocanda, c. fin. X. de consuet.
 qualis etiam est consuetudo, quae contraria est legi
 ciuili, ratione naturali subnixae. Optime FRANC.
BALDVINVS de Legib. Constantini M. Lib. II. ad b.
l. 2. Neque enim, inquit, quod omnino iniustum est,
 tempore vel usu ius fieri potest. Et quo tandem reci-
 deremus, si sublatu facti et iuris discrimine, factum
 pro iure accipiamus, aut iuris regulam ex facto re-
 petamus ? Hinc Imp. Alexander in *l. 1. C.* quae sit
long. consuet. non simpliciter consuetudinem, sed ra-
 tionem, quae illam suasit, inspicere et custodire ius-
 fit. *Quod enim non ratione introducsum, sed errore*
primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis si-
milibus obtainere non debet, ut naturali ratione dictan-
*te CELSVS pronuntiat in *l. 39. D. de Legib.* Nota est*
Germanorum paroemia : Hundert Jahr unrecht,
ist nicht eine Stunde recht, quam illustrat HER-
TIVS de paroem. iur. Germ. Lib. I. paroem. 3.

V.

SOLA SVPERIORIS VOLVNTAS FACIT, VT
 CONSVETVDO DEROGET LEGI.
 NON ITAQVE DIVTVRNITAS TEMPORIS VEL
 PRAESCRPTIO, NEQVE RERV M IVDICA-
 TARVM AVCTORITAS SVFFICIT.

C

Frustra

Frustra in Superiorum legislatoria potestas collata foret, si liceret subditis de legibus suo arbitrio statuere et, quas vellent, contrario vsu antiquare. Non magis sane, inquit 10. VOET Comment. ad Pand. tit. de Legib. n. 37. in monarchico regimine sanctitas a Principe constitutiones vsu contrario, vicunque inueterato, populus sustulerit; nisi de tacito Principis consensu ac connuentia constet. Nam quum omnem legis condendae potestatem populus in Principem trans-tulerit, et naturali ratione eius sit soluere, qui potest ligare, ac eius sit nolle, qui potest velle, l. 4. D. de reg. iur. qui quaeso posset inuito legislatore abrumpere legum frena, ipse legis ferendae exutus potestate? arg. l. 3. §. 5. D. de sepulcr. viol. Rei itaque veritate inspecta, non consuetudo, sed mutata Principis voluntas, factis declarata, tollit legem antea latam. Ergo liquere debet, mutatam esse voluntatem eius, quae mutatio non praesumitur, l. 22. D. de probat. Eleganter BALDVINVS loc. cit. scribit: *Quandiu quidem patitur legislator legem impune contemni, aut negligi, illa cedit, et veluti dormit.* Sed neque plane victa propterea est, quin renocari in usum possit: neque mortua, quin suscitari facile queat. Scio tamen et fateor, legem aliquam posse contraria consuetudine abro-

abrogari, sicuti et Julianus Iurisconsultus fatetur. Sed hoc demum fit, vbi legislator, cuius erat legem tueri, si manere vellet, illud non nolle videtur, et patiendo suam tacite legem abrogat. Quae quum ita sint, non temporis ratio, neque praescriptio, neque rerum iudicatarum auctoritas sufficere potest ad hoc, vt consuetudo vincat et abroget legem. Temporis quidem rationem, si consuetudo lege scripta sit posterior et longo tempore usurpata, hoc momentum, hanc auctoritatem praestare, vulgata est opinio: quia presumendum sit, Principem multos annos legem impune negligi passurum haud fuisse, nisi et in posterum legem negligi voluisset. Praescriptiōnem certe putant supplerē in consuetudine, quod illa non valet sui momento, vt ait LVD. VITALIS Lect. var. Lib. II. c. 28. Pronocant ad c. fin. X. de consuetud. vbi Pontifex interpretatur legem 2. C. quae sit long. consuet. et requirit in consuetudine legi scriptae praeualitura, vt sit legitime praescripta, quod pariter inculcant c. 50. X. de elect. et c. 3. de consuetud. in 6. Quin eo progressus est SCHILTERVS ad Pand. Exercit. II. §. 19. not. b. vt, quum praescriptio contra inuitos et negligentes dominos introducta acquirat ius contra non consentientem, dicat eandem

dem requiri visam esse in consuetudine contra leges, vbi ius acquirant vtentes intuta quodammodo aut negligente summa potestate. Verum enim uero sicut facta, post legem promulgatam contra eius praescriptum admissa, iniusta et improbanda sunt, ita temporis, quo talia saepius perpetrata fuerunt, diuturnitas iis nullum ex presumta Superioris voluntate valorem conciliare potest. Multa fieri possunt, in territorio praesertim ampliori, quae in Principis notitiam diurno tempore haud perueniunt: neque, si magistratus et iudices officio suo seria animaduersione in ea, quae aduersus leges fiunt, haud fecerunt satis, Principem tacito consensu legem abrogasse, nedum per negligentiam ius nouum introducendi subditis licentiam fecisse, sine iniuria arguere licet. Quod de praescriptione consuetudinem firmante in corpore iuris canonici occurrit, Glossatorum iuris civilis commentum est, qui longam consuetudinem cum praescriptione confuderunt. Nimirum habet praescriptio vim acquirendi ius aliquod inter priuatos, atque e contrario per non usum amittendo iuri sufficit: non vero est modus constituendi ius commune, quod cum effectu iuris quaesiti opponatur voluntati Superioris.

Quod

Quod denique ad res iudicatas attinet, accurate **CIVIACIVS** Obseruat. Lib. XX. c. I. docuit: *Sententia iudicis declarat consuetudinem, quae est, non etiam facit consuetudinem, quae non est: ut similiter dicitur, sententiam iudicis non constituere seruitutem, sed eam, quae est, declarare, l. 8. §. 3. D. si seru. vind. Et errant meo iudicio, qui putant, duas sententias iudicis in eodem genere litis consimiles consuetudinem facere: nam a rebus iudicatis consuetudo separatur, l. 38. D. de legib. Quum iudicibus non sit potestas iuris constituendi, res, saepius licet, iudicatae non magis, quam actus a ciuibus extra iudicium celebrati, consuetudinem aduersus legem armare et, vt illa legem vincat, efficere valebunt.*

VI.

CONSENSVS SUPERIORIS IN CONSVETUDINEM LEGI DEROGANTEM EX QVIBVS ACTIBVS PROBETVR.

Quoniam non facta subditorum, sed sola voluntas Superioris, vt diximus, consuetudini tantam vim atque momentum praefstat, vt legem posterius latam imitetur, vtque legem olim scriptam vincat, eique vel deroget, vel eam prorsus tollat: dispicien-

dum omnino est, vnde voluntas illa Superioris rite ac legitime probetur. Id quidem facile constat, si Princeps diserte voluntatem suam declarat, qua consuetudinem legi contrariam approbat eamque pro norma in posterum esse iubet, nouam tunc legem priori derogantem promulgari, hoc est expresse constitui. Itaque videndum est de voluntate Principis tacita, id est, animo de lege abroganda aut corrigenda re ipsa et factis declarato. Factum igitur Superioris, cuius est leges ferre, voluntatem illam euidentissime significans, in probatione consuetudinis legem abrogantis aut corrigentis demonstrare oportet. Tale factum, idque extra omnem dubitationem positum, est, si quidem actus legi scriptae contrarii, velut in quibus solennia, quae lex definiuit, omissa aut non exacte obseruata fuerint, a Principe confirmetur. Etenim haec confirmatio omnino diuersa est ab expressa, cuius antea mentionem fecimus, approbatione ipsius consuetudinis in vim normae perpetuae semel simulque facta, vt bene monuit III. K E M M E R I C H *de probatione consuetudinis et obseruantiae Sect. II. §. II. not. d.* Itaque confirmatio alicuius actus legi contrarii semel facta sufficere nequit ad hoc, vt actus eiusmodi in poste-

posterum quoque contra legem valeant: quoniam vnum actum Princeps per dispensationem admittere potuit, idque in dubio egiisse credendus est. Imo nec duo tales actus evidentem satis voluntatem abrogandi ius scriptum declarant, vt cum G V N D L I N G I O in *Gundling. Part. VII. Obs. 3. §. 17. seqq.* III. KEMMERICH l. c. §. 12. not. b. docet ac TITII Iur. priu. Lib. I. c. 7. §. 10. in actu numero, si modo de confirmatione Imperantis constet, villam vim positam esse negantis doctrinam refellit. Suaves vtique sunt, qui duo actus sufficere vulgari arguento l. 12. D. de testib. probant. Parem vim habet ratihabito eorum, quae ex actibus legi contrariis necessario sequuntur: quae dum a Principe approbantur, non possunt non actus ipsi per consequentiam valere iussi, idque si saepius fiat, consuetudo tacite firmata, dici. Tacitam quoque confirmationem inducit scientia et patientia Superioris: vbi tamen cautius, quam vulgo fieri solet, statuendum est de consuetudine contra leges per conniventiam Principis introducenda. Primum omnium constare oportet de scientia ipsius Principis vel sacri eius confistorii, per quod iura constituit. Deinde patientia et tacita approbatio ad effectum consuetudinis de-

roga-

rogatoriae non statim ex scientia Principis et actibus, impune per aliquod temporis spatium iteratis, colligenda: sed videndum est, anne Princeps causas habuerit, quare neglectum legis haud vindicandum duxerit, quod reipublicae et temporis ratio quandoque suadet. Admitti itaque non potest, quod vulgaris doctrina sine lege et ratione iubet, ut actus duo conformes, publici, maxime iudiciales, per diuturnum tempus frequentati, ad scientiam Principis et patientiam praesumendam, inde consuetudinem, quae legem vincat, stabiendam sufficere debeat.

VII.

REMEDIA NEGLECTVI LEGVM OPPONENDA, ILLVSTRIBV SAPIENTIAE LEGISLATORIAE EXEMPLIS COM-
PROBATA.

Enimuero non est adeo laborandum pro consuetudine, neque ei fauendum contra legem scriptam: sed in dubio potius insistendum clarae Superioris voluntati et iuri certo: ne, quod saepe fieri vehementer dolendum est, lites sufflaminentur et lis ex lite gignatur, dum partibus digladiandum est de norma,

norma, secundum quam caussa decidenda sit, an
eam petere oporteat a lege, an vero a consuetudine,
legis victrice. Maxime igitur salutaria reipublicae
sunt remedia, quibus occurritur iuri incerto atque in-
finitis malis, quae a neglectu legum oriri solent, qui-
busque magistratus et subditi in officio continentur.
Sapienter hoc olim in terris Guelpherbytanis egit
D. AVG VST VS sanctione, qua legum a se pro-
mulgatarum perpetuam obseruantiam, poenas ne-
gligentiae non tam a delinquentibus, quam ab ipsis
magistratibus et officialibus exigendo, communiuit,
dignissima sane, quam totam recitemus. Ita enim
edixit Princeps cum maxima virtutum, litterarum et
immortalium factorum, tum in primis legum pru-
dentissime latarum gloria inclytus. Von Gottes Gna-
den Wir Augustus, Herzog zu Braunschweig und
Lüneburg, fügen allen und jeden Unsern und Unsers
Fürstenthums Wulffenbuttel, Gerichtsherren, Be-
amten, Bürgermeistern und Räten in Städten, Ver-
waltern, Gohegrefen, Voigten, und insgemein allen
denenjenigen, so Unsert wegen zu gebieten und zu
verbieten haben, hiemit zu wissen; Ob Wir wol von
Anfang Unserer Landesfürstlichen Regierung, aus
Väterlicher Wolmeinung und Vorsorge für Unsere

D

Lande

Lande und Leute, und Unsern gesamten Unterthanen zum Besten unterschiedene, heilsame, nützliche Edicta, Constitutiones und Ordnungen verfassen, zu männiglicher Nachricht öffentlich verkündigen lassen, und darüber mit gebührendem Fleiz und Eifer zu halten ernstlich befohlen, der ungezweifelten Zuversicht, es würde ein jeder Unser Unterthan und Angehöriger denselben schuldiger massen gelebet haben; So befinden Wir jedoch mit nicht geringem ungnädigen Missfallen, und giebt es die Erfahrung mehr als gut ist, daß Unsere so wolgemeinte nöhtige und nützliche Edicta, Constitutiones, Satz und Ordnungen von dem einen und andern vergessentlich aus den Augen gesehet, und darwieder in viele Wege gehandelt, wodurch nicht allein Unsere Landesfürstliche Hoheit und Autorität unleidsamer Weise gröblich violiret und gekränket, auch die Uebertretere solcher Ordnung mehrmals ihnen selbst allerhand Beschwerung und Schaden über den Hals gezogen. Immassen dann sonderlich dahero, daß Unsere der Flachs-Arbeit halber ausgelassene Verordnung nicht in gehöriger Obacht gehalten, an verschiedenen Orten erbärmlicher Brand-Schaden verursachet, wie davon die flaglichen Exempel hin und wieder vor Augen gestellet. Was durch

die

die an den Fehr- und Herrn-Tagen verbotene Arbeit und Anstellung öffentlicher Farmärkte oftmals vor Unraht und Ungleichenheit entstehet, das bezeuget die Erfahrung. So wird auch wegen versäumter Beserung der Wege und Stege vielfältige Klage gefüret, und denen Reisenden und Handelsleuten dadurch allerhand Schade zugefügert. Von der vor diesem angeordneten und anbefohlnen Abmessung der Aecker ist bisshero von keinem Orte die geringste Nachricht eingelanget. Die wegen der Verlöbniß, Hochzeit, Kindtauff und Begräbniß gemachte Ordnungen werden fast gar aus den Augen gesetzt. Über Unsere so hochnohtwendige Landes-Ordnung wird fast in keinem Puncte gehalten, und wolte zu weitläufig fassen, andere mehr exempla jetzt anzuführen. All die weil Wir aber solchen Ungehorsam, auch Unserer Beamten und der Gerichtsherrn Nachlässigkeit fürters zu gedulden keines weges gemeinet seyn, in mehrem Betracht, daß in gebührender fleißiger Aufsicht und richtiger Observanz aller und jeder Constitution-Satz und Ordnungen derselben bestie Kraft besteht; So befehlen Wir allen und jeden Unsern Gerichtsherrn und Beamten, Bürgermeistern und Räten in Städten, Verwaltern, Gohegrefen, Börgten,

und insgemein Unsern Bedienten vom Höchsten bis zum Niedrigsten, daß sie sämtlich, und ein jeder vor sich und an seinem Orte, über alle und jede Unsere ausgelassene und publicirte Edicta, Constitutiones, Mandata und Ordnungen, wie die Nahmen haben, mit gehörigem ernsten Fleiß fest und unverbrüchlich halten und wol Acht haben, daß darwieder im geringsten nicht gehandelt, oder da ein oder der ander sich dessen freventlich unterstehen würde, alsdann wieder denselben mit der auf das vorgegangene Verbrechen verordneten Strafe, nach dem deutlichen Inhalt einer jeden Constitution und Ordnung, ohne einz' Ansehen und Verschonen der Personen, schleunig und ohngezäumet verfahren werde. Im unverhoffenden und wiedrigen Fall, und da Uns hinführo einige Übertretung wieder Unsere so wolmeintliche ausgelassene Constitutiones und Ordnungen vorkommen solten, wollen Wir nicht auf die Delinquenten sehen, sondern vornehmlich wieder die Gerichtsherrn, Beamten, Bürgermeister und Räte der Städte, auch Verwaltere, Bögte und andere, ja so gar auch die geringste und unterste Amts- oder Gerichts-Dienner selbst in denen Dörffern (als welche die erste Hand an die Execution Unserer Mandaten und Ord-

num

nung schlagen müssen, auch ein jeder an seinem Ort auf die Übertretere alle Stunde sehen, und ihm also nichts verborgen seyn kan,) ihrer hierunter erwiesen
nen Unachtsam-Nachlässigkeit und Versäumnis halber, mit Ernst und wirklicher Bestrafung unmachs-
lässig verfahren, und Unser ungädiges Missfallen
dergestalt erweisen, daß andere eine Warnung dar-
ob nehmen mögen. Das meynen Wir ernstlich, und
haben es zu mehrer Verwarschauung nochmals man-
niglichen zur Nachricht öffentlich verkündigen zu las-
sen nöthig ermessen, ein jeder hat sich darnach gehor-
samlich zu achten, und für Schaden und Ungelegen-
heit selbst zu hüten. Und Wir verbleiben Unsern ge-
horsamen Dienern, Unterthanen und Angehörigen mit
Gnaden fürters wol beygethan. Datum in Unserer Be-
stzung Wulffenbüttel den 15. April. des 1636. Jares,
Plenissime vero legum prouincialium vigori cauit
prouidentia Optimi Principis nostri, Patris patriae
benignissimi, C A R O L I, rescripto ad singulos
magistratus et iudices felici Eius regimini parentes
die xx. Aug. anno M D C C X X X I I . emisso, quo per-
petuus et constans legum omnium, quas expresse
abrogatas esse non constat, usus sanctitur omneque
de valore earum praesenti ob mutatam forte rerum

et temporum rationem statuendi arbitrium Principi reseruatur. Forma saluberrimi rescripti haec est:
Von Gottes Gnaden Carl Herzog zu Braunschweig
und Lüneburg. Lieb [e] Getreu [e] Uns ist hinter-
bracht worden, daß wieder den Inhalt derer Landes-
Constitutionen und Ordnungen so wohl circa for-
mam Processus, als auch in decidendo öfters ver-
fahren, und die Gesetze wegen eines vermeintlichen
non vslis oder propter contrariam obseruantiam
hintangesezett worden. Wie Wir aber ernstlich wol-
len, daß alle und jede von Unsern in Gott ruhen-
den Vorfahren an der Regierung und Uns gemachte
Verordnungen, falls sie nicht von Ihnen oder Uns
expres abgeschafft, ohne Ausnahme gelten und be-
obachtet werden sollen; so befehlen Wir [euch] ernst-
lich, [euch] in allen und jeden Fällen darnach zu ach-
ten. Solte inzwischen in mehr gedachten Gesetzen
und Ordnungen etwas zu finden seyn, daß nach
jezigen Zeiten und Umständen einer Mehrung, Min-
derung oder Abschaffung bedörste, so [habe ihr]
[hast du] solches
an Unsere Justiz-Canzley zu melden, welche [euch]
[dich]
sodenn

sodenn entweder, wann Unsere Willens - Meinung
ihr bereits wissend, so fort mit Bescheid versehen,
oder wiedrigenfalls bey Uns anfragen und des weiter
[euch] [dich] instruiren wird. Ulterius progressa Serenissi-
mi Principis nostri cura magistratibus hoc in man-
datis dedit, vt earum legum, quarum neglectum
animaduerterent, indicium faciant, simulque ne-
glectus illius causas, quas indagare iussi sunt, ex-
ponant: sapientissimo consilio, vt, quod certe prae-
cipuum legum firmamentum est, usus earum modis
competentibus solicite promoueatur, impedimenta
remoueantur, vtque ea, quae opus est, emenden-
tur. Rectissime illustria haec prouidentissimae legis-
lationis exempla demonstrant, quibus remediis effi-
ciendum sit, ne tot a maioribus repertae, tot recens
latae leges, illae obliuione, hae, quod flagitiosius
est, contemtu et desuetudine aboleantur, vitia secu-
riora fiant, res publica detrimentum capiat, dum
inconsulti ciuium in vetita nitentium mores vin-
cunt rationem et legem.



NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Egregie facis, quod non tantum in ea, quam ingressus es, via, quae ad solidam iurisprudentiam perducit, gnauiter pergis, sed publico etiam, quod tibi gratulor, specimine ostendis, te cum turris civilis studio litteras elegantiores laudabilis industria coniunxit. Coeca enim et sordida et gerendae reipublicae inutilis est, si qua sine haurum litterarum luce esse potest, iuris scientia: id quod vel hoc ipsum iuris controvensi argumentum bis pagellis tractatum demonstrat. Nostra adhuc aetate non defuerunt, qui consuetudinis vim aduersus leges scriptas in longi temporis usu et actibus contradicto, ut vulgo aiunt, iudicio firmatis, aut se maius in contradictorio obtentis, statuentes, consuetudinem etiam contra disertam Principis prohibitionem valere, et legi, licet clausula contrariam consuetudinem quamcunque improbante munitae, derogare affirmarunt. Scilicet hae doctrinae ab ignorantia iuris vniuersalis, quo ciuitates reguntur, atque inepta iuris Romani interpretatione, ac proinde peruersa applicatione prouenerunt. Hinc sit, vt, qui cum turba sapere quam cum ratione malunt, consuetudinem praeter leges inductam ab ea, quae legi opponitur, haud discernere valeant, vtque, quod subtilissimus iuris auctor IULIANVS de iudicio populi et tacito consensu omnium ait, ad ciues sub Principatu viventes referant, haud intelligentes, quod de populo sub unius imperio a jure dicitur, exaudiendum esse de ipso et solo Principe, cui et in quem omne suum imperium et potestatem populus contulit. Hic est mos loquendi iurisconsultorum, vt, retento ex libera republica populi vocabulo, Principis significant potestatem. Tu igitur hanc, quam sequeris, studiorum rationem nunquam intermitte, quae tibi certe et dignitatis et emolumenti allatura est plurimum. Vale.

HELMSTEDT, Diss., 1745-47

ULB Halle
004 599 888

3



f

TA → DL

Nur 1+19 Stück verknüpft





Farbkarte #13



B.I.G

Black

DE

CONSVENTVDINE
LEGEM HAVD VINCENTE

PRAESIDE

FRANCISCO CAROLO
CONRADI

SERENISSIMO BRUNOVICENSIVM AC LVNAE.
BURGENSIVM DVCI A CONSILIIS AVLICIS ET
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
ANTECESSORE

IN

IVLEO MAIORI

A. D. XVI. IVNII MDCCXXXV.

PUBLICE DISPVTABIT

IOANNES PETRVS SIVERS
LVRECENSIS.

HELMSTADII

LITTERIS DRIMBORNIANIS.